



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Cognitione Dei - Quanti nimirum momenti illa fit, & quibus
praesidiis obtineri ab unoqueque hominum possit

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Caput XX. De infinita Dei scientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54487](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54487)

CAPUT XX.

De infinita DEI scientia.

TRibus modis DEUM ubique esse
 D. Thomas (1. p. qu. 8. a. 3.)
 & Theologi comuniter docent,
 per essentiam nimirum, præsen-
 tiamque, & potentiam. Per essentiam qui-
 dem, *in quantum adest omnibus, ut causa essen-*
di: per præsentiam, in quantum omnia nuda
sunt, & aperta oculis ejus: per potentiam, in
quantum omnia potestati ejus subduntur: quem-
 admodum quivis Regum per essentiam, nem-
 pe secundum corpus, atque animam, est in
 folio, ubi residet: per præsentiam in tota au-
 la, ubi est folium, videns nimirum, quæcun-
 que ibi fiunt: per potentiam in universo suo
 regno, pro suo nempe arbitrato illud mode-
 rans. Cum igitur primo modo DEUM in
 quibuslibet locis, & rebus existere, totâ scili-
 cet suæ Divinitatis substantiâ penitissimè iis in-
 fufum, præcedenti jam capite ostenderitimus;
 consequens est, ut duobus itè reliquis mo-
 dis ubique illum esse ostendamus: per poten-
 tiam videlicet, quidquid libeat, ubique ope-
 randi, & creata omnia suo nutu regendi,
 quod

quod duorum huic proximè succedentium capitum materia erit : pèrque præsentiam, & cognitionem, qua, quidquid uspiam seu est, seu esse potest, clarissimè perspicit, quod in præsentì capite agendum suscipimus.

2. Et quoniam cujusvis scientiæ mensura, tum à rerum, quæ noscuntur multitudine, tum à peculiari easdem pernoscendi modo petiti consuevit; observandum nobis est, quàm eximia utroque hoc nomine sit divinæ scientiæ perfectio, quam, sive hinc, sive illinc spectetur, palàm videbimus esse infinitam, imò etiam, si ità loqui fas est, plus quàm infinitam. Ità fanè, talis & tanta primò est, si innumera objectorum, quæ perspicit, multitudo attendatur. Nam, quæ tandem ex rebus universis, seu præsentibus, seu præteritis, seu aliquando extituris, seu quæ, hac, illàve conditione positâ, existerent, seu merè possibilibus nominari, aut concipi animo potest, quin eam DEI oculus, prout Ecclesiasticus ait, (c. 23.) *Multò plus lucidior sole, utque in Græca versione legitur, millies splendidior sole, exactissimo visu introspiciat?* Omnes profectò, omnes à maxima ad minimam, à suprema ad infimam, secundùm quamcunque singularum partem, proprietatem, affectionem,

nem, actionemque. seu absolutam, seu conditionalem, distinctissime ille pervidet, & plenè comprehendit: nec circa earum ullam vel arcanum occurrere potest, indagatu adeò arduum; quod ei manifestum, & meridiana luce clarius semper non fuerit; vel adeò inexplicabilis quæstio proponi, cujus certissimam solutionem in promptu non habeat. Quæ scientia, ut ex dicendis constabit, multitudinem veritatum, & cognitionum amplectitur non infinitam duntaxat, verum etiam infinites infinitam; ut perspicacissima qualibet celestium spirituum intelligentia, obtutum in eam figens, hæreat, obstupescat, confundatur, deficiat.

3. Utque ab ea cognitionum classe ordiamur, quæ inter cæteras minor numero est; coadunantur primò intrà immensam divinæ scientiæ amplitudinem veritates omnes, naturam suam necessariam, omnia videlicet disciplinarum, artiumque principia, & quidquid consequentiarum ex unoquoque eorum ratiocinando elici potest, & causæ omnes seu remotæ, seu proximæ quorumvis naturalium effectuum: quod perinde est, ac si dicamus, omnes ibi contineri disciplinas, & artes, secundum maximam, quæ convenire singulis

queat, latitudinem: adeò ut nulla in iis vel oriri dubitatio, vel fieri interrogatio possit, cui supremus earum Magister idoneo confestim responso satisfacere haud sciat: utpote cui uni verè congruit Plinianum illud de sapiente quodam elogium: (Ep. 22. L. 1.) *Nibil est, quod discere velis, quod ille docere non possit.* Sed hæc ludus videri, comparatæ cum reliquis possunt. Nam, præter jam dictam necessariarum veritatum scientiam, progreditur mens divina ad omnes singillatim discernendas, quæcunque vel fuerunt, vel sunt, vel aliquando erunt, spirituales, corporeas, animatas, animaque carentes substantias, Angelos, homines, pecudes, plantas, lapides, metalla, aquæ guttas, atomosque per aërem quaqua-versum dispersas: omnia hæc continenter præ oculis habens; nec minùs perspicuè intuens, quæ longissimè retro fuerant, inque postremo ævi fine erunt, quàm quæ nunc in rerum universitate existunt; nec minùs exactè distinguens minima, & similia invicem corpora, quàm majora, & inter se notabiliùs diversa, unam nempe atomum, vel roris guttam à quacunque altera, quàm montem à monte, & fidus à fidere. Adeò ut, mare aspiciens, possit ibi statim discernere aquas è Tyberì illò

invectas ab iis, quas Padus, vel Danubius, vel quilibet alius fluvius eò detulerit: cùmque hyberno tempore ulmei alicujus nemoris folia, è ramis hac, illac delapfa, & temere confusa, humi jacent; promptiffimum illi est non solùm finè ulla dubitatione internoscere, ex quanam hæc, & ex quanam illa ulmo deciderint; verùm etiam quæcunque singulis particulariter conveniunt, distinctè affirmare dicendo: exempli gratiâ, folium hoc in illo hujus ulmi ramo, inque illa ejus virga tertio Kalendarum, quintiles erupit, septimùmque in cæterorum ordine ibi locum habebat, illique erat proximum, quod ventorum vi ablatum, centenis nunc ab eo passibus distat. Smiliter, ubi turbine aliquo pulveris nubes attollitur, & rursus, eo cessante, subsidit; de quolibet pulveris grano certissimè novit, sique interrogetur, referre illico potest, ubinam antea jacuerit, quòdque ex aliis dextrum ei, vel sinistrum, quòdnam supra, vel infra ipsum fuerit, cum sexcentis aliis id genus inobservabilium differentiarum minutiis. Neque solùm res singulas, quotquot vel fuère, vel sunt, vel porrò erunt, cum majori, quàm cogitare valeamus, distinctione cognitas habet; sed cujuscunque insuper earum collectionis numeri,

ri, nil hæsitans absque mora temporis potest rationem exactissimè reddere: putà, quot muscæ natæ, mortuæque hoc anno, & quocunque alio ab orbe condito sint: quot nivis flocci hac, vel illa hyeme agros contexerint: quot hic, vel ille autumnus poma, hoc, vel illud ver protulerit flores: quot hac, illa toto aëre atomi volitent: quot Gangis, aut Nili alveus arenas contineat: quot diluvii Noëmi- ci tempore è nubibus fluxerint guttæ: & mille alias hujusmodi humanæ arithmeticæ non computabiles summas. Adde huc, quòd de universis, singulisque modò dictis substantiis, tam præteritis & futuris, quàm præsentibus, ingentibus, ac pusillis, eximiis, & vulgaribus sciat, quidquid sciri, & quæri unquam potest: omnes nempe, licèt minimas earum partes, omnes nativas proprietates, omnes mutationes, quæ casu aliquo in iis contingere, aut contingent, omnes denique earum actus, & motus, ex quo eductæ in lucem sunt, quoad usque pergunt existere. Ac proinde, citra ullam cunctationem, aut errandi periculum, affirmare de unoquoque hominum potest, quot capilli in ejus capite, quot intrà venas guttæ sanguinis sint: quot in sua omni vita cibi bolos comederit, quot confecerit passus,

M m 4

quot

quot verba elocutus sit, quoties respirarit, quoties caput, aut manus moverit, omnes cogitationes, omnes oculorum coniectus, & quidquid mutationum à calore, frigore, & cæteris hujusmodi qualitatibus in illius corpore unquam acciderit. Idem dicendum de quocunque alio animantium, volucrum, aquatiliū, serpentum, quadrupedum. Idem de quavis planta, vel arbore, quantum ad numerum illius, & ad varios à ventorum vi impulsus: idem postremò de multifariis circa locis situm, vel phycas qualitates mutationibus, quæ in quacunque aëris parte, in quolibet pulveris grano, inque omni aquæ, pluviz, fluvialis, ac maritimæ guttâ contigerint. Nempe hæc omnia, atque singula supremus ille *Luminum Pater* nullo non tempore explicatissima ante oculos habet, multoque novit certius, quàm nostrum nos nomen, ac quinos manus nostræ digitos teneamus: adeò ut, de quocunque interrogatus, nunquam possit dubitare, vel respondere, ignoro; sed confestim, quod quæritur, quale sit, fueritque, aut erit, in medium proferre. Quidnam ergo, mi Lector, de hac objectorum, & cognitionum multitudine ais? multitudine tam immensa, ut impossibile nobis sit totam mente completi,

eti, sed necesse habeamus in millenas eam classes partiri, atque ita minutatim propositam, peculiaribus considerationibus intueri. Quantam esse illius mentis capacitatem par est, intrà quam diversa adeò, & innumera objecta, neque illa quidem, velut in angusto confusa, & se invicem præpedientia, sed cum summa laxitate, & aliorum ab aliis distinctione adunantur: quæque non minùs exactè unumquodque eorum comprehendit, quàm, si solum præsens haberet, nec ulli alteri præter ipsum vacaret? Nonne videris jam tibi audisse, quidquid dici de scientia summa, & omnimoda potest.

4. Sed enim verò sic arbitrari idem esset, ac divini intellectus metas in primo stadii sui ingressu statuere. Resume ergo tantisper obrutum auditis tot miraculis spiritum: & perge contemplari infinitum *plus ultra* reliquarum cognitionum, ad quas illa se extendit. Cum, quasi nihil foret perspicere tum res omnes creatas, quæ vel nunc sunt, vel olim fuerunt, atque erunt; tum quidquid absolutè ad earum singulas pertinet, eadem insuper claritate intueatur, quidquid de unaquaque affirmari verè possit, si in aliis, aliisque constitueretur, vel constituta esset; circumstantiis,

quarum nullus definiri numerus potest: quid-
quid exempli gratiâ accidisset, vel accideret,
si ego in quavis alia regione, vel temporis dif-
ferentia natus essem: si locò habitudinis natu-
ralis, quam sortitus re ipsa sum, aliam sortit-
tus essem ex tam multis, quæ mihi potuissent
obtingere: si millenis, millenisque diversis
rationibus educatus à pueritia essem: si cum
illo, vel illo differentium personarum gene-
re consuetudinem habuissem: si quamcunque
artem, & professionem vivendi elegissem, ex
tam multis ab hac differentibus, quam re ipsa
elegi: si his, aut illis forem vel incitamenti
ad peccandum stimulatus, vel divinæ gratiæ
præsidii ad bene vivendum instructus, quæ
utraque plura, & plura sinè ullo termino ef-
se queunt. Ità planè; quidquid in unaqua-
que ex prædictis circumstantiis, & ex innume-
ris earum inter se combinationibus, revera à
me, & de me factum esset, vel fieret, in quo-
vis vitæ meæ momento, multò illi comperti-
us semper fuit, quàm comperta sint nobis,
quæ meridiana in luce perspicimus. Quò fit,
ut præter innumeras de singulis rebus tum cre-
atis, tum creandis veritates, absolutè ipsi no-
tas, tantò majorem, quia omnino infinitum,
aliarum de iisdem veritatum, nempe conditi-
ona-

onalium , numerum sua cognitione amplectatur : neque ulla in hoc itidem genere sit excogitabilis quæstio , quam nequeat prompto , indubitatoque responso expedire : disertè pronuntians , quid circa unamquamque rem , sive in hac , sive in illa , sive in alia quavis hypothefi factum esset , vel fieret. *O altitudo divinarum sapientiæ , & scientiæ DEI! (Ad Rom. II.)* Quis huic tam variæ , innumeræque veritatum multitudini metiendæ par sit ? Nostra mens , vix eam contemplari aggressa , hebescit , caligat , vertigine corripitur , tremebunda resilit , nimixque temeritatis se damnans , inter ipsos primos conatus terrori tota , ac desperationi succumbit.

5. Et tamen nondum vel dimidiam , imò nec millesimam emensi partem sumus divinæ , ultra semper , atque ultra pertingentis scientiæ. Aliæ sinè fundo abyssi , alia sinè ullis litoribus restant maria , ubi nedum infinitus , sed infinities etiam infinitus veritatum est numerus. Et hujusmodi sunt profectò entium possibilem classes , omnia nempe illa , quæ , præter jam creata , & deinceps creanda , in vastissimo suo continet sinu , potèstque in lucem emittere , nec ullo tamen tempore emittet supremi Effectoris potentia : cùm & diversæ talium

lium

lium rerum species, & individua intrà unamquamque speciem possibilem, omnem, ut sequenti capite ostendam, numerum, ac finem excedant: neque dubitari ullo modo possit, quin unumquodque ex hujuscemodi objectis pari claritate, & distinctione à DEO cognoscatur, ac quæcunque alia jam in mundo existentia. Finge igitur, circa quodlibet cujuscunque possibilem speciei individuum, non plus ab eo, quàm unicam veritatem cognosci. Quidnam hinc sequeretur? sequeretur extra omne dubium, quod paulò antè affirmavi, nempe infinitas etiam sic, non modò cognitiones, sed & cognitionum infinitates in illius mente extituras. Cùm enim quævis species infinita individua amplectatur, certæque ac peculiari cognitionum circa ea infinitati materiem præbeat, prout infinitæ sunt species, sic infinitas esse oporteret cognitionum de iis infinitates. Si ergo, etsi circa quodvis individuum possibile non nisi unicam veritatem DEUS nosset: necesse nihilominus foret, conceptas ab eo de illis universis notitias infinities esse infinitas; quidnam, rogo, dicendum jam est, cùm circa unumquodque ex talibus individuis infinities infinitis, tot numero veritates ille debeat perspicere, quot circa unumquod-

quodque ex individuis vel creatis, vel creandis ab eo perspici vidimus: singulas nempe uniuscujusque partes, qualitates, actiones, motus, & quidquid præterea de eodem, in quibusque aliis possibilibus circumstantiis constituto, enuntiari verè posset, obtutu exactissimo pervidens? Qualemnam, DEUM immortalem! cernere hìc est coacervatarum inter sese infinitatum abyssum? Quæve non hominum dicam, sed vel cælestium spirituum arithmetica revocare ad calculos, & certa supputatione complecti valeat, quidquid objectorum divina mens novit; si non modò illa, sed etiam ipsæ illorum infinitates ultra omnem numerum sunt? *Ecce DEUS magnus, vincens scientiam nostram. Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam. (Job. 36. Ps. 139.)*

6. Neque verò existimes, quampiam hìc hyperbolen, quæ cæteroqui præcipuè adhiberi consuevit, ubi minimè necessaria est, nempe cùm de rebus sermo est suapte naturâ eximii, & communem modum egressis. Quidquid de divinæ scientiæ amplitudine hætenus diximus, dogma est, sive in revelationis divinæ, sive in humanæ rationis lumine inspiciatur, certissimum. Expendamus illud ad primum:

mum:

Quidquàmne est capillis tenuius ? & tamen certos Euangelium nos facit, eorum numerum exactissimè à DEO sciri. (*Mat. 10.*) *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt.* Quidquàmne cogitationibus animi abstrusum, & reconditum magis ? Et tamen in libris Paralipomenon legimus, nullam earum divinis obtutibus non patere. (*L. I. c. 28.*) *Omnia corda scrutatur Dominus, & universas mentium cogitationes.* Quidquàmne scitu incertius, quàm eventus futuri ? Et tamen, Ecclesiastico teste, (*c. 23.*) *Domino DEO, antequam crearentur, omnia sunt agnita.* Quæcunque ex propositionibus meis maximè universales sunt, ad examen vocentur. Ullane occurret, quæ sacris è libris vel descripta non sit, vel erui per consequentiam legitimam nequeat ? Infinitam DEI scientiam vocavi. Quid ? nõnue talem David quoque appellat, dicens : (*Pf. 146.*) *Sapientia ejus non est numerus ?* Nihil ignotum DEO esse affirmavi. Aliudne tandem hoc fuit, quàm repetere, quod prolatum pridem fuerat, tum ab eodem Regio Vate, dum ei canit : (*Pf. 138.*) *Tu cognovisti omnia ;* tum à Gentium Doctore, ubi scribit : (*Ad Hebr. 4.*) *Non est creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus ?* Dixi, suâ illum scientiâ
com.

complecti, quidquid sciri veritatum potest. Nonne idem pronuntiaverat Ecclesiasticus ab his verbis suum librum exorsus, *Omnia sapientia à Domino DEO est, & cum illo semper fuit. Ipse creavit illam, & vidit, & dinumeravit, & mensus est?* Imò nonne ad ita loquendum mihi præiverat ipsum Verbum divinum, non tam veri cognitorem, quàm ipsammet puram putam veritatem se nominans: (*Joan. c. 14.*) *Ego sum via, & veritas, & vita?* Certè à veritate universè, ac generaliter sumpta nulla abesse peculiaris veritas potest: &, veluti appellans se alibi DEUS, non hoc, aut illud esse, sed ipsummet purum esse, *Ego sum, qui sum*; totum procul dubio esse sibi attribuit; ita hìc non hanc, aut illam veritatis speciem, sed veritatem universè vocans, apertissimè nobis innuit, nullam reperiri veritatem posse, cujus sibi defit possessio. Quo etiam videntur spectare illa D. Joannis verba, (*Ep. I. c. 1.*) *DEUS lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ.* Cum enim luci sapientia, & tenebris ignorantia assimilari soleat; quonam pacto nihil tenebrarum in DEO esset, si vel unius veritatis inscitiâ laboraret; ita ut, de ea interrogatus, cogereetur respondere, nescio.

7. Transeundo jam à sacrarum Literarum

rum oraculis ad rationis humanæ argumenta; manifestissimam ex his quoque perspicimus divinæ scientiæ infinitatem. Nam, si rerum merè possibilium cognitionem attendamus; nemini profectò esse dubium potest, quin **DEUS**, suam omnipotentiam cognoscens, eas simul omnes, ceu inibi comprehensas clarissimè videat. Quod verò ad existentes, & deinceps extituras attinet; nisi opinemur, vel temere, & citra omne consilium, in his producendis eum agere; vel omnem illarum, postquam productæ sunt, curam abjicere, fateamur necesse est, distinctè ab eo cerni, quidquid ad unamquamque earum pertinet: neque tunc primò cerni, cum esse illa incipit, sed in tota retro æternitate perspectum fuisse. Nam, cum certissimò constet, immutabilem prorsus eum esse, nec proinde ullam posse adipisci notitiam, cujus antea expers fuerit; necesse procul dubio est, vel semper nota hæc illi fuisse, vel nunquam cognosci ab eo posse. Quantum denique ad nostras cogitationes, & quæcunque ex libera animi determinatione volumus; quonam pacto credi potest, ullum ex hisce actibus seu ignotum illi esse, cum eos omnes pro supremi judicis munere ad examen vocare, & dignis remunerari præmiis debe-

beat; siue ignotum saltè priùs, quàm à nobis conciperetur, fuisse; cùm utpote naturâ immutabilis necesse habeat, quidquid aliquando novit, semper novisse, &, ut suprà diximus, vel alternam rerum obtinere notitiam, vel in perpetua earum inscitia versari. Adde, quòd, cùm quævis ignorantia mentis imperfectio sit; si quid ille veri ignoraret, haud utique esset, qualem suprà ostendimus, in quovis perfectionis genere omnino infinitus. Adde præterea, quòd, si illum primam esse, atque universalem omnium causam fatemur; omnem etiam, quæcunque esse potest, cognoscendi vim ab eo proficisci, ac proinde in eo contineri fateamur, necesse est. Adde postremò, quòd res omnis, cùm verum quoddam sit, debet posse cognosci, prout verè est, nec deesse proin, qui eam possit cognoscere. Unde sequitur, admittendam necessariò esse aliquam mentem, à qua, quidquid veri est, possit cognosci: &, si aliquam, certè divinam, ex qua una, velut ex immenso quodam fonte, omnis derivatur, qua reliquæ mentes pollent, cognoscendi facultas.

8. Quarum rationum vis ut clariùs perspiciatur, operæ pretium fuerit, demonstratæ rei exemplum ab oculo mutuari, quem

corporis intellectum sapientes appellant. Hic scilicet, animatum veluti speculum, nequit in se non exprimere, quidquid præsens sibi est, quidquid nempe ex adverso illi objicitur, intra sphaeram activitatis suæ positum, & lumine congruenti illustratum. Quocirca, quæcunque conferunt ad majorem objectorum numerum ei repræsentandum, ut prospectus loci latius patens, pupilla perspicacior, & lumen vividius; conferunt quoque ad objecta plura in se exprimenda. Atque ita vetus ille Strabo, in Lilybæo Siciliæ Promontorio existens, ob singularem oculorum vigorem, atque acumen (*Teste Plin. L. 7. c. 21.*) discernere, & numerare poterat naves, è Carthaginis portu solventes, aliis minùs perspicacibus oculis, in tanta mille amplius stadiorum longinquitate invisibiles. Quemadmodum etiam quisque nostrum experitur, plura se objecta ex editiori, quàm ex plano loco, inque meridie, quàm sub vesperam cernere. Finge igitur globum terræ universum nihil esse aliud, quàm oculum, & quidem instar solis fulgidum, & pro modo fulgoris sui perspicacem. Nonne talis oculus, quidquid in circumjecta undique regione rerum spectabilem est, necessariò videret? dubitari certè non po-

potest: Nam & rotunditatis suæ causâ pupil-
lam in omnes æqualiter obversam haberet;
nec earum ulla esset, ad quam immenso suo
lumine, & pari perspicacitate non pertinge-
ret. Perge jam, & sub simili specie divinam
tibi mentem propone: nempe, quasi spiritu-
alem quemdam oculum, immensæ magnitu-
dinis, perspicacissimum, lucidissimum, & in
omnes latè partes obversum, adeò ut nihil eo-
rum, quæ cognosci possunt, intrà illius sphæ-
ram non sit. Talem, dico, illam animo con-
cipe, nec difficulter deinde intelliges, quo
pacto talis oculus, nullo non tempore, sum-
mæque cum claritate percipiat, quidquid in
tota rerum universitate veri, & cognoscendi
se objicit. Si enim ea est oculi bene affecti
natura, ut necessariò videat, quæcunque ha-
bet præsentia; quidni necesse sit, vera omnia
videri ab eo oculo, cui tanquam perfectissimo,
nihil deest de summa perspicendi virtute; &
ut immenso, atque æterno, omne verum sem-
per est præsens? Omnis veritas cognitionis gra-
tiâ est, nec quidquam magis, quàm cognosci,
optat; nec alia de causa interdum non cogno-
scitur, nisi quia idoneum cognitorem non in-
venit. Quamobrem idem esset, supremam
DEI mentem alicujus veri ignaram concipe-

re, ac defectum in ea imaginari idoneæ ad intelligendum virtutis. At quis unquam, nisi mentis prorsus expers, quidquam suspicetur necessariæ ad cognoscendum habitudinis ei menti deesse, à qua omnis profluit cognoscendi facultas. *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audiet? Aut, qui finxit oculum, non considerat?* (Ps. 93.)

9. Certè imaginatio tam vecors neque apud sapientiores Ethnicorum reperit locum. Comperta adeò illis fuit divini intellectûs vis, ad quodvis verum pervidendum; ut Græci, testibus Dionysio Areopagita, (De Div. Nom. c. 5.) & Gregorio Nisseno, (Or. 12. c. eum.) indè nomen DEO fecerint, Θεὸν quasi inspectorem, à verbo θεᾶ' ὀπτᾶν, intueor vocantes: quemadmodum apud Hebræos generali videntis nomine præscios futurorum Vates designare mos erat. (L. I. Reg. c. 9.) *Qui Propheta hodie dicitur, olim vocabatur videns.* Quod si disertiora eorundem testimonia audire cordi est; præstabit hæc Trismegistus, tum ubi definit, (Ascl. II.) *Intellectum summi DEI solam veritatem esse;* tum ubi contemplari nos jubet DEUM, (Pim. II.) *Ut intelligentias omnes in se habentem, præstabit Orpheus, qui Jovis oc-*

enlum, utpote omnia perspicientem, (*Mars. Fic. L. 2. de immort. c. 10.*) *Oculum infinitum* appellat. Præstabunt circa ipsarummet cogitationum scientiam, Thales Milefius, & Annæus Seneca: quorum prior, sciscitanti, possétne aliquis, improbè agens, Deos latere; respondit, (*Laërt. L. 1.*) *Nè cogitans quidem*: alter verò affirmat, neque animam nostram præsentiolem esse suis actibus, quàm sit DEUS. (*Ep. 83.*) *Nihil DEO clausum est. Interest actibus nostris, & cogitationibus mediis intervenit. Sic intervenit, dico, tanquam aliquando discedat? Nempe semper adest, & semper inspicit.* Præstabunt verbis quàm maximè universalibus Plato, & Empedocles. Cùm & hic prædicaret, (*Sext. Emp. L. 1. c. Math. c. 17.*) *Nihil omnino esse, quod DEUM lateat; & libro 10. de Legibus scriptum extet, DEUM, cùm sit omniscius, censendum esse videre, & nosse omnia, vel minima.* Præstabit ille etiam cæteroqui semiatheus, rerum naturalium scriptor, qui, quamvis negaret, ullam DEO esse rerum nostrarum curam, non tamen potuit, nimiâ rei evidentiam coactus, summam illi pariter cognoscendi virtutem eripere: cùm eum sic describat, (*Plin. L. 2. c. 7.*) *Quisquis est DEUS, totus est sensus, totus visus, totus auditus.* Quam ejus

sententiam apud Sextum quoque Empyricum reperire est, hoc versiculo expressam: (L. 8. c. Math. c. An sint Dii.) *Totus quippe videt, totus mens, totus & audit.* Usque adeò, quod Proclus verissimè tradidit: *Persuasum naturaliter est omnibus hominibus, Divinitatem omnia nosse.* (Philop. ad 2. Procl. & in Alcib. I.)

10. Demonstrandum jam est, quanta sit divinæ scientiæ perfectio, ratione etiam alterius initio propositi capitis, excellentissimi scilicet, & summè admirabilis modi: quo res omnes intelligit. Nam primò, quidquid Deus videt, non modò usquequaque comprehendit, nullam illius partem, qualitatem, actionemque omittens, quàm exactissimè non perspiciat; verùm etiam, ut recepto in scholis vocabulo utar, supercomprehendit: summa claritate discernens, quemcunque illius cum rebus cæteris omnibus, seu activæ, seu passivæ affinitatis, & relationis nexum: quod perinde est, ac in unoquoque peculiari objecto reliqua pene omnia cognoscere. Præterea, ad intelligenda quæcunque intelligit, nequaquam, instar nostri, opus ille habet, proprias objectorū species ab iis mutuare: (alioquin nihil rerum posset, ante illarum existentiam cognoscere) sed pro unica specie, uni-

cō-

eoque formali objecto cujuslibet cognitionis suammet habet essentiam: ceu illam, quæ omne in se bonum complectens, & omne à se malum necessariò excludens, sola sufficit se comprehendenti ad plenissimam, & possibilissima quævis seu bona, seu mala pernoſcendi virtutem. Ità expressè Areopagita: (De Div. Nom. c. 7.) *Non enim ex rebus ipsis res discens, novit eas divina mens: sed in se ipsa, & ex se ipsa, secundum causam omnium scientiam, & notitiam, & essentiam præhabet: non singulis secundum cujusque speciem intendens, sed secundum unicam cause complexionem cuncta sciens, & continens. Nam, si secundum unam causam DEUS esse omnibus imperit, secundum eandem causam sciet omnia, tanquam ex se existentia, & in se ipso ante præexistentia. Non habet itaque DEUS peculiarem scientiam sui; aliam verò communem res omnes complectentem. Ipsa enim omnium causa, se ipsam cognoscens, nullo modo ea, quorum causa est, ignorabit. Hac igitur DEUS res cognoscens, non scientia rerum, sed scientiâ sui illas novit. Quem modum intelligendi res, non per aliam, quàm suammet unius essentiæ speciem, agnoscit D. Thomas (L. I. c. Gent. c. 49.) in iis Psalmi 101. verbis: Dominus prospexit de excelso sancto suo, subjungens, quasi de se ipso ex-*

celso alia videns. Neque solum, ad cognoscenda objecta creata, nullis DEUS propriis eorum speciebus indiget, satis harum loco habens suam divinam essentiam, quasi speciem, quæ omnes alias excellentiori continet modo; sed neque cognitione distincta à se ipso indiget, supplente hujus quoque vicem eadem suâ essentiâ. Quod à suprascripto Angelico Doctore tum aliis rationibus, tum hac speciatim probatur: *Quia (L. 1. c. Genes. c. 45.) omnis substantia est propter operationem:* ac proinde, si DEI operationes ab eo distinguerentur, ipse esset propter aliquid distinctum à se: *Et sic non esset sua bonitas, cum bonum cuiuslibet sit finis ejus.* Præterquam quod esse optimum, quale procul dubio est divinum, nequit, ut ab Aristotele additur, ullam in se habere potentiam, quæ aliunde compleri egeat: sed necesse est, ut purissimus, simplicissimusque actus sit, nempe entis genus, per se omnino perfectum, & suamet omnis perfectio. Cujus principii nequaquam constaret veritas, ubi aliud foret ipsius esse, aliudque ipsius intelligere. (L. 12. *Metaph. c. 9.*) *Si, quod est ejus substantia, non intellectio est, sed potentia; profecto non optima est substantia.* Unde per legitimam ratiocinationem concludit Plotinus, ut digna for-

formetur in animo divinæ mentis species, concipiendam eam esse, non quasi habilem omnia cognoscere, sed quasi ipsammet perpetuam, immutabilemque omnium cognitionem: (En. s. L. 9. c. 5.) *Mentem debemus accipere, non eam, quæ potentiâ, sed quæ actu, & perpetuò sit mens. Quod nisi est ita, adventitiam habet intelligentiam: declarans idem alibi his verbis, Intellectus (de summo & divino loquitur) nequaquam ex potentia, quæ intelligere possit, in actum prodit intelligendi. Quod enim in potentia est, exigit alterum, quo accedente, perducatur ad actum: quod autem à se ipso semper ita se habet, est actus.* (En. 2. L. 5. c. 3.)

II. Ex hac porrò divinæ scientiæ prærogativa, quòd nempe unum, idemque cum DEO sit, tria insuper alia consequuntur miræ admodum, & prorsus singularia illius decora. Primum est, quòd, licet infinita complectatur objecta, non tamen idcirco ex infinitis cognitionibus constat, quæ inter se distinguantur, & aliis aliæ objectis respondeant: sed unicus tota est, atque simplex obtutus: sufficiens intrà immensam virtutis suæ spheram comprehendere, quidquid sciri, & perspicere potest, nihilque ob tantam rerum sibi objectarum multipliciter, distractus, aut labo-

N n 5 rans

rans magis, quàm si ex toto illo numero unam tantùm quampiam spectaret. *Sed nec diversis* (libeat D. Petrum Damianum audire) *obtinibus diversa considerat: ut, cùm intendit præteritis, vacet à præsentibus, vel rursus, cùm præsentia & futura considerat, oculos à præteritis avertat: sed uno duntaxat, & simplici præsentissimæ majestatis intuitu simul omnia comprehendit: neque hoc confuse & inexplicatè, sed omnia discernit, & juxta proprietatem suam distinguit.* (Opusc. 36. c. 7.) Quemadmodum enim, qui è loco, supra universum theatrum eminente, illud spectat, potest unico obtutu, quidquid in unaquaque parte ejus fiat, simul cernere; sic DEUS, in supremo rerum vertice infallibiliter supereminens, quasi quodam profunditatis, & æterni consilii circulo non modò cuncta temporum spatia, sed & loca, & universas amplectitur creaturas. *Sed hæc omnia uno contemplationis icu, & simplici semper aspectat intuitu.* Decus certè, non nisi illius proprium, & creatæ cujuslibet mentis capacitatem excedens: cùm nemo non experiatur, quàm sibi arduum, & laboriosum sit, vel duobus objectis, quæ invicem non cohæreant, animum simul attendere.

12. Sequitur secundò, æternam, immutabilémque, & eandem semper eam esse: ita
ut

ut nunquam DEUS possit vel cognitionem acquirere, cujus expers antea fuerit, vel quam antea possederat, per oblivionem amittere: nec, quia objecta ab eo cognita assiduè variantur, & aliis alia succedunt; idcirco alia item, atque alia illius sit scientia, nempe jam de his, jam de illis objectis, jam magis, jam minùs latè patens, jam clarior, jam obscurior: sed, sicut cum divina essentia idem est; sic ejus ritualis, & tanta semper sit, qualis, & quanta esse unquam potest, semper æquè perfecta, æquè universalis, æquè infinita. Non enim (verba sunt D. Augustini) *more nostro ille, vel, quod futurum est, prospicit, vel, quod præsens est, aspicit, vel, quod præteritum est, respicit: sed alio modo quodam, à nostrarum cogitationum consuetudine longè diverso. Ille quippe, non ex hoc in illud cogitatione mutata, sed omnino incommutabiliter videt: ità ut omnia, quæ temporaliter sunt, stabili, & sempiternâ præsentia comprehendat: nec aliter nunc, & aliter antea, & aliter postea: neque enim ejus intentio de cogitatione in cogitationem transit, in cujus incorporeo contuitu simul adsunt cuncta, quæ fecit. (L. II. de Civ. c. 21.)* Quapropter, ratione hujus invariabilis scientiæ, nec Plotinus (En. 4. L. 3. c. 26.) patitur, DEO tribui præteritorum memoriam; nec D.

Gre-

Gregorius (L. 20. Mor. c. 23.) propriam in eodem futurorum præscientiam agnoscit. Cum enim universis ille temporibus totus semper sit præsens; & quidquid est præteritum, novit, sed non quasi illius reminiscens; & quidquid futurum est, aspicit, sed intuitu, quali præsentia aspici solent. Ità ut (quemadmodum citatus paulò antea Hipponensis Doctor concludit) *nec ea, quæ dicuntur præterita, ibi prætereant; nec ea, quæ dicuntur futura, quasi desint, expectentur, ut veniant, sed & præterita, & futura cum præsentibus, sint cuncta præsentia: nec singula cogitentur, & ab aliis ad alia cogitando transeatur, sed in uno conspectu simul præsto sint universa.* (L. 15. de Trin. c. 7.)

13. Tertium decus est, quòd hæc tam excellens scientia nullo laboris, studiique sumptu DEO constat, sed tam necessaria illi est, quàm suummet ipsum esse; cum non aliud sit illum esse, quàm perfectissimam rerum omnium scientiam esse. Ac proinde, quemadmodum nihil laborandum, & satagendum ei est, ut sit, qui est; sic neque ut sciat, quidquid scit: & velut speculum nulla arte, nullisque penicillis, & coloribus indiget, ad pingenda quæcunque habet præsentia; sed, simul atque aliquid ei objicitur, confestim, & necessariò
in

in sese illud exprimit ; sic mens divina minime opus habet , cogitationes intendere , ullove artificio , & conatu ad indagandam rerum veritatem uti : sed , immensi cujusdam speculi instar , cui omne verum semper est præsens ; totum illud , sine ullo conatu & labore , immobili , æternaque cum necessitate configuratum in se exhibet. Nisi quod speculorum imagines ab objectis , quæ exhibent , velut à suo exemplari promanent : cum divina rerum creatarum cognitio primum sit exemplar , unde illæ omnes , quasi totidem simulacra , essentia suæ formam accipiunt. Quare convenientius vocari potest æternum , & universale prototypon , in cuius virtute ante omne tempus extiterint , & ad cuius imitationem suis temporibus effingantur , quæ alia deinceps , atque alia in lucem prodeunt nostrarum cognitionum objecta.

14. Quos tam miros , & singulares intelligendi modos quisquis rite perpenderit , manifestè agnoscet , creatam omnem sive hominum , sive Angelorum scientiam præ divina nihil esse aliud , quàm meræ inscitia caliginem. Agnovit id sanè etiam in cæca infidelitatis nocte Pythagoras : primusque , teste Laërtio , (L. I.) appellari Philosophus , seu amator sapien-

en,

entia voluit: repudiato, tanquam DEI unius proprio, sapientis nomine, quo antea naturalium disciplinarum Professores insigniri consueverant. Nec minus eandem veritatem perspexit, publicèque professus est Socrates, oraculi Delphici voce (*Laërt. in ejus vita*) *Mortalium unus verè sapiens appellatus*: contestans suis civibus, non aliam esse hominum sapientiam, quàm ut suam agnoscant inscitiam: idque causæ fuisse, cur tributum sibi ab oraculo sit sapientis nomen: non quòd verè esset, sed quia probè intelligebat, sese talem haud esse. *Revera, ô Athenienses* (en sapientissimum ejus effatum) *videtur solus DEUS esse sapiens. Quòd verò Socratem nominet sapientem ob id facere, quò nomine meo utens, quasi sic dicat: Is, ô viri! sapientissimus est, qui, quemadmodum Socrates, novit sapientiam suam nihili esse pendendam.* (*Plat. in Apol. Socr.*)

15. Talis igitur, tamque eximia, tum à multitudine objectorum, tum à modo ea noscendi, contemplatrix scientia DEI est. Quid porrò de admirabili arte, & practica scientia dicemus, quam in procreandis, tuendis, moderandisque rebus exhibuit, atque exhibet? Nè pigeat, mi Lector, eam paulisper attendere, nova quippe in illius contemplatione

re-

reperies miraculorum, humanam prorsus fidem excedentium theatra. Cernitur primò singulare hujusce artis ingenium in tam innumeris, diversisque naturis, quas intrà se concepit, atque in lucem produxit: quarum nulla dignè explicari potest, quantum extraordinariæ admirabilitatis in suarum partium numero, symmetria, & concinnitate præferat. exemplo sit unius corporis humani structura. Hoc, si Galeno credimus (*De Form. Fæt.*) sexcentos amplius continet musculos, quorum unusquisque decem habeat usus, seu fines: adeò ut circa ipsos duntaxat, ultra sex finium millia, ab opifice attendi necesse fuerit. Ossa verò ducentessimum superant numerum, singula ad quadragenos usus facta: qui profectò usus omnes, supra octies millenos ante operis aggressionem prospiciendi, & rite observandi fuere. Adde jam tot reliquas ejus partes, ut venas, viscera, cartilagines, nervos. Adde operationes vegetandi, sentiendi, atque intelligendi, quæ in eodem fiunt, &, quarum causâ, tam multis, tam variis, tamque artificiosis organis eget. Adde postremò (nè in exequenda ventris, stomachi, capitis, aurium, manuumque anatomia, justò prolixior sim) miram adeò cujuslibet hominis à quovis alio di-

diversitatem, præsertim in oris conformatione, inque vocis sono, secundum quæ vix unquam contingit, ut duo prorsus conveniant. *Parvum dictu (inquit Plinius) sed immensum æstimatione, tot gentium sermones, tot lingue, tanta loquendi varietas. Jam in facie, vultuque nostro, cum sint decem, aut paulò plura membra, nullas duas in tot millibus hominum, indiscretas facies existere: quod ars nulla in paucis numero præstet, affectando. (L. 7. c. 1.)* Tantum certè in hujusmodi opere subtilitatis, atque ingenii obiter consideranti intuendum se offert; ut, si nullum aliud DEUS nobis exhibuisset sui specimen; satis hoc uno artificem se divinum probâisset. At quantò sese talem luculentius probavit, cum præter inventionem, effectiõnemque jam dicti, exquisitissimi sanè, sed unius operis tot alia graphicèque adeò elaborata architectatus sit; quot, & cujusmodi sunt brutorum animantium, & plantarum species, quas in rerum universitate ubique obviam spectamus? Neque solùm tam multiplici artificiosissimorum operum varietati concipiendæ animo, inque lucem promendæ par fuit; verùm etiam, quasi totum id pro nihilo ei foret, in fecundissimo, ut sic loquar, mentis suæ utero novas habet alias, infinitè plures,

lon-

longéque admirabiliores, nobis prorsus igno-
 ras, nec ullo cogitatu assequendas ideas: qua-
 rum ad exemplar innumeras statim posset di-
 versissimas ab iis, quas hæcenus creavit, re-
 rum species producere: imò etiam innume-
 rabiles mundos fabricare, singulos, seu sub-
 stantia, seu forma spectetur, tum huic nobis co-
 gnito, tum cuilibet aliorum dissimiles. Et
 hujusmodi ideæ semper intrà illius mentem
 extitere, atque existent, *non tanquam formæ ab
 alii impressæ, sed ut archetypa, & ut ipsa mentis
 substantia*, (Plot. En. 5. L. 9. c. 5.) quales ibi
 Ethnicus sapiens aspexit: adeò ut, qui vastis-
 simam illam mentem penetrare, ac emetiri
 obtutu posset; *Immensos quosdam* (ut D. Augu-
 stinus scribit L. II. de Civ. 6. 10.) *atque infini-
 tos thesauros rerum intelligibilium illic deprehen-
 deret*: quidquid videlicet seu factum jam est,
 seu fieri insuper potest, summa cum distincti-
 one representatum, & in unam speciem colle-
 ctum: speciem profectò non sinè infinita ad-
 miratione, & voluptate intuendam, & cui pa-
 rem, similémve nusquam alibi est cernere.
 Præsertim quòd res creatæ, secundùm certis-
 simam D. Anselmi doctrinam, (Monol. c. 33.)
 Longè ibi nobiliùs, quàm in semet ipsis exi-
 stunt, nempe quasi unum idémque aliquid cum

suo illo æterno exemplari : ac proinde , quam mutabiles & corporeæ , immutabiliter , ac spiritali modo ibi sunt , nec qualis natura earum est , temporariæ ac mortales ; sed , qualis suprema illa statio , inocciduar , æternæque : similiter atque artis cujuscunque opera in illius virtute priusquam fiant , & posteaquam destructæ sunt , continentur , haud tanquam effecta artis , sed tanquam ars ipsa : neque illis vitii deformia , quæ sæpenumero à materia , vel artifice habent , sed omnibus numeris absoluta , cùmque tota illa perfectione , quæ acti per se ipsam convenit . *Quam Anselmi doctrinam D. quoque Augustinus pridem tradiderat , vocans Verbum divinum , (L. 6. de Trin. c. 7.) Artem quamdam omnipotentis , atque sapientis DEI , plenam omnium rationum , viventium , & incommutabilium : colligensque inde , à beatis Cælitibus clariùs videri res creatas in Verbo divino , ubi illæ (L. 11. de Civ. c. 29.) Habent causas , rationesque , secundùm quas factæ sunt , incommutabiliter permanentes , quàm in propria earundem natura : quippe cùm hic videntur quasi effecta artis divinæ , illic verò quasi ipsa ars divina .*

16. Mirè itè m elucet architectonica summi Effectoris scientia , in ordine tam certo , &

& concinno, quo hanc rerum universitatem disposuit: creans illam (*Sap. II.*) *In mensura, & numero, & pondere*: suamque, ut Ecclesiasticus scribit, (*c. I.*) sapientiam super unamquamque effundens: adeò ut ratione artificiosissimi nexùs, quo omnia, cum primùm in lucem prodire, aptata, & sibi invicem juncta sunt, invariabilis tot jam sæculis duret planetarum per eosdem semper calles motus, annique tempestatum mutua in orbem successio: elementorum, primarumque qualitatum hostiles discordiæ, pro eo ut dissolvatur rerum universitas, ei potius conservandæ, & perpetuò instaurandæ deserviant: Rerum genera & species ab assidua individuorum corruptione nullum deficiendi periculum metuant: in causarum quæ peculiarium, quæ universalium operationibus cum incredibili varietate summa misceatur consensus: quòdque admirationem omnem excedit, quævis tot naturarum & partium suum duntaxat bonum, atque finem respiciens, nullum toti incommodum afferat: quin imò illa ipsa privatæ suæ utilitatis procuratione, totius harmoniam, pulchritudinem ac perfectionem constituat. ad quos effectus certò assequendos, quanta, rogo, consideratione, & providentia opus fu-

it? Quot quàmque diversæ minutissimarum quarumlibet mundi partium ordinationes effingendæ animo, inter seque comparandæ fuerunt? Quàm intimè unamquamque rem creandam inspicere & cognosci oportuit, non solum secundum suam peculiarem naturam, & proprietates ipsi insitas; verum etiam secundum illius proportionem, habitudinemque ad cæteras cujusvis generis res, è quibus mundus componitur.

17. Nec minor in mundo perpetim administrando, quàm in eodem semel constituendo, divinæ providentiæ amplitudo, & capacitas cernitur. Nihil quippe tam abjectum, parvique adeò momenti est, quod supremus ille arbiter sua attentione indignum existimet, cuius curam aspernetur, cui se toto non vacet; adeò ut nulla usquam res, etiam minima, sine nutu & consilio ejus fiat; non roris gutta humum rigit, non folium ex arbore decidat, non palpebra oculi nictitet, non vermis aut culex intereat. Ubique præsens intervenit, ubique operatur, ubique operantes dirigit. Eodem tempore, quo in cælo Angelos beat, in terra jumentis pabulum præbet: eadem providentiâ, qua toti universitati adest; singulas illius partes complectitur: ita cuilibet rei, mi-
ni-

nimæ intendens, ut si à quavis alia otiosus in-
 terim foret, nec minus de infimis, quàm de
 summis, & præstantissimis cogitans: *Quoniam,*
 ut ait Sapiens, (*Sap. 6.*) *pusillum, & magnum*
ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. Quæ
 gubernationis ratio usque ad eò humanum o-
 mnem modum, ac morem excedit; ut Ethni-
 corum multi, veluti tanto Principe indignam,
 illiusque felicitati, & quieti plùs nimio impor-
 tunam, ab eo prorsus excluderint: *Irridendum*
arbitrantes cum Plinio, nedum vitâ, & sensu
carentium, sed etiam humanarum rerum curam
agere illud, quidquid est summum. (L. I. c. 7.)
 Irridendi enim verò ipsi potiùs, dum curâ suæ
 imbecillitatis decempedâ metiendum duxe-
 runt capacissimæ illius mentis vigorem. Per-
 inde quasi curam gerere de iis, quæ in mundo
 universo, imò in mille mundis fiant, quid-
 quam perturbationis, molestiæque DEO affer-
 ret, nec esset potiùs, prout Salomoni visum
 est, oblectamenti, & ludi instar, dum divi-
 nam nobis sapientiam proposuit, non veluti
 occupatam, & laborantem, sed quasi *ludentem*
in orbe terrarum. (Prov. 8.) Quamobrem Trif-
 megistus temperare sibi minimè potest, quin
 adversùs tam impiæ, fatuæque opinionis au-
 thorem exclamet, (*Pim. c. 14.*) *O dementem!*

*ô cæcum ! & totius divinæ cognitionis expertem !
 Nihil est magis .ô Asclepi ! ridiculum , quàm quod
 huic accidit . Nam , dum se DEUM venerari fe-
 tetur , eò quòd negotio , curaque liberet , DEUM
 prorsus ignorat : quòdque deterius est , mortaliùm
 illi passiones adscribit , superbiam , ignorantiam , im-
 becillitatem . Qui alibi etiam scitè , appositu-
 que ad præsentis rei declarationem , ait , velut
 lineæ à centro prodeuntes multæ numero sunt ,
 sed in illo puncti speciem referunt ; haud se-
 cùs res creatas extra DEUM varias , & multi-
 plices apparere : at intrà ipsius mentem non
 nisi objectum unicum dici posse : quarum
 procuratio non magis eum fatigat , quàm nos
 fatiget oscitandi , vel movendi unius digiti cu-
 ra . Summa gubernationis supremo illi Domino
 paret , non ut multa , sed potiùs ut unum . Ex uno
 enim cuncta defluentia cum distantia videntur ,
 creduntur esse plurima , adunata verò unum . (Ascl.
 c. 8.)*

18. Prodigiousissima demum eadem supre-
 mi Moderatoris ars in hominum regimine
 apparet , dum , plenam iis libertatem operan-
 di pro suo arbitru relinquens ; ità res disponit
 ac temperat . ut etiam quando contra divinas
 Leges suas agunt , divinis tamen suis consiliis ,
 nescientes , atque inviti famulentur , ac ipsa-
 met

metillorum perversitas suæ sit providentiæ instrumentum: quæ res sibi adversas, per obliquos, ignotósque ipsis calles ad destinatum sibi finem perducit, è tenebris lucem, ex confusione ordinem, éque malo bonum eliciens: adeò ut nemo unus pravo naturalis arbitrii usu illius possit voluntatem frustrari, sed per ipsas, quibus eam fugit, vias, in eandem cogatur incurrere: non aliter, inquit D. Anselmus, ac, qui in mundi centro sphæris undique celestibus circumcluditur, nullo pacto ab his valet longiùs recedere: imò, quantò magis una ex parte illas fugit, tantò ex altera iisdem fit prior. Ità, *quamvis homo divinæ voluntati, & ordinationi subjacere nolit, non tamen eam fugere valet. Quia si vult fugere de sub voluntate jubente, currit sub voluntatem punientem. Et sic ipsum, quod perverse vult, aut agit, in universitatu ordinem, & pulchritudinem summa sapientia convertit.* (L. I. Cur DEUS homo c. 15.) Artificii enim verò mirabilis genus, per quod DEUS (Sap. c. 8.) Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter: Cum summa efficacitate, in suo fine obtinendo, parem suavitatem, in eodem quærendo, conjungens. Qualis foret aurigæ dexteritas, qui libera omnino indomitis sex jugalibus frœna

permittens, ità nihilominus moderari cursum, eósq̄ue ad certa viarum divortia statuere obices sciret; ut ii, post multifarias hac, illac exerrationes, ibi demum, quo appellere decretum ipsi fuerat, sisterent cursum. Atque huc pertinent improvise illæ fortunarū conversiones, quæ toties in mundi theatro representantur, illaque primo aspectu fortuita, notorum, qui penè inextricabiles videbantur, solutio. Huc repentini illi eventus, quibus DEUS labefactare amat superbas molitiones, à politicorum astu, quasi totidem turres Babel contra cælum extructas: (*Isa. c. 44.*) *Convertens sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam faciens.* Huc revolutio super impiorum excidiorum, quibus ipsi conabantur justos obruere. Huc demum exaltatio probitatis, per easdem illas machinas, quibus hostes eversum eam iri sperabant: In quorum fidem innumera exempla suppeterent: sed unum locò omnium produxisse sat fuerit Patriarcham Joseph, qui, ut pulchre animadvertit D. Gregorius: *Ideo à fratribus venditus fuerat, nè adoraretur: sed ideò est adoratus, quia venditus.* Inde quippe coacti sunt voluntatem DEI peragere, unde hanc moliti sunt astute commutare. Sic, sic divinum consilium, dum evitatur, impletur: sic humana sapi-

en-

entia, dum reluctatur, comprehenditur. Timuerunt fratres, nè Joseph super eos excresceret: sed hoc, quod dispositum divinitus fuerat; cavendo factum est, ut eveniret. Humana ergo sapientia in se ipsa comprehensa est, quæ voluntati DEI unde per intentionem restitit, inde ejus implentioni militavit. (L. 6. Mor. c. 12.)

19. Quòd si in hoc gubernationis genere aliqua evenire videmus, præsertim circa permissionem malorum, & distributionem bonorum, quorum æquitas, & ratio vel ignota penitus nobis est, vel parùm perspicua; non ideo perturbari debemus, &, quod nonnulli insani, impiique faciunt, divinam Providentiam in dubium vocare: sed sapientissimum potius Salomonem audire, ubi ait: (Eccles. c. 8.) Intellexisse se, quòd omnium operum DEI nullam possit homo invenire rationem: &, quòd plus laboraverit ad quærendum, tantò minus inveniat: pro certissimo, & primi instar principii habentes, deesse nobis potius notitiam rationis, & finis, cujus gratiâ tales eventus justè possint decerni, quàm DEO æquitatem defuisse, & sapientiam in iis decernendis. Nam, quid tandem miri est, si supremi illius Moderatoris judicia, ob innumerabiles circumstantias, quas respiciunt, & longissimam futuro-

rum eventuum seriem, unde contexuntur dicta jure optimo: (Ps. 15.) *Abyssus multa, ante suum exitum per obscura interdum, minisque probabilia nobis apparent: cum circa plurimas etiam humanarum artium operationes in eadem nos experiamur illarum convenientiæ, & rationis inscitia versari? si itaque (argumentatur hic D. Augustinus (In Ps. 148) nemo temerarii adeo & præcipitis judicii est, qui aliquod ignotæ sibi artis opificium aspiciens, ideo duntaxat, quia verum illius usum non intelligit; pro inepto, & nulli usui opportuno illud damnet: sed quis, etsi non habet peritiam artis, habet saltè considerationem hominis, dictitare intrà se solet. Hoc opus utpote ab homine talium rerum perito elaboratum, suum finem, atque usum habeat, necesse est, quamvis ego illum, ob meam hoc in genere imperitiam, haud noverim: Artifex novit, quare, etsi ego non novi: si hac, inquam, judicandi æquitate uti erga quemvis figulum, erga quemvis fabrum lignarium, erga quemvis sutorem, in eorum officinis, & circa eorum opificia solemus: quidni eadem utamur erga DEUM in sua hac mundi officina, & circa rerum humanarum eventus, qui in eadem, quasi proprio divinæ illius artis effecta certum.*

nuntur? Cur hinc solummodo, si quid non percipimus; potius artificem sapientissimum reprehendere, quàm nostræ id tribuere imperitiæ velimus? *In officina non audet homo vituperare fabrum, & audet vituperare in hoc mundo DEUM?* Tale est argumentum sancti Doctoris: argumentum adeò evidens, ut etiam inter superstitionis ethniciæ umbras cognitum à Trajani Cæsaris Magistro fuerit. Unde & ipse illo usus est, scribens: (*Teste Plut. de sera Num. Vind.*) *Facilius esse de rebus musicis musicæ imperitum differere, quàm res Deorum investigare eum, qui sit homo. Quid ergo miremur, ubi humana ità difficulter percipimus, si non facile nobis explicari sit, cur Dii peccantes alios maturiùs, alios seriùs plectant?* Sed quò adhuc melius illius vis intelligatur, operæ pretium erit, sic illud urgere. Certum est, quotiescunque rerum humanarum regimen in hac, vel illa sui parte à recto videtur deflectere; alicui ex tribus hisce causis esse id necessariò imputandum: vel quia DEUS de mundi gubernatione nil cogitet, vel quia illum minùs justè & sapienter gubernet, vel quia ejus gubernatio, quamvis rectissima, nobis prava, ex necessariæ notitiæ defectu videatur. Age jam, examinetur secundùm humanæ rationis principia, quænam

nam ex hujusmodi causis ad veri speciem propius accedat. Priores duæ rationi apertè repugnant, nec possunt pro veris ab ullo sanæ mentis homine admitti. Quàm enim evidenter constat, DEUM existere, tam certum est, non posse illum vel sinè cura rerum humanarum esse, vel sinè debita in iis procurandis sapientia, & justitia. Tertia verò nihil habet, cur contingere nequeat, creditùque ideo difficilis sit: cùm frequentissimè experiamur, nos falli in judicando de rebus, & quidem minùs perplexis, quàm sit totius universi gubernatio. Cujusnam igitur, non dico imprudentiæ, sed insanix fuerit, effectum, de quo quæritur illis malle causas tribuere, quæ evidenter impossibiles sunt, quàm huic, quæ tam crebrò usuvenerit cernitur? adeò ut verisimilius existimemus, posse DEUM vel omnino incogitantem rerum humanarum esse, vel in administrandis iis parum providum, quàm nostram mentem in judicando de illius regimine hallucinari? Apage, apage cum hujusmodi perversitate. Si enim in prima mundi procreatione (*Gen. 1.*) *Vidit DEUS cuncta, que fecerat, & erant valde bona*, cur in eo gubernando, & ad finem suum promovendo, minùs recta operandi ratione usus credatur? adeò
ut

ut de hac itidem affirmare non liceat. (*Eccles.*
3.) *Cuncta fecit DEUS bona in tempore suo : non
possumus eis quidquam addere, vel detrabere?* Si-
que Aristoteles primi principii loco habuit,
constituítque, (*L. 1. Pol. c. 2.*) *Nihil naturam
facere frustra*; quoniam pacto Christianorum
aliquis poterit tam perversè de supremo natu-
ræ Authore opinari, ut eum credat, non mo-
dò frustra, & sinè ratione, sed perperam quo-
que, & contra rationem aliquid facere. Si
quispiam ità comparatus animo foret, nihil
neesse est, ut sive Apostolus in aurem ipsi in-
sufurret, (*Ad Rom. 9.*) *O homo! tu quis es, qui
respondeas DEO?* seu ille Jobi amicus ei repetat,
(*c. 36.*) *Quis poterit scrutari vias ejus? Aut quis
potest ei dicere, operatus es iniquitatem? Memen-
to, quòd ignores opus ejus. Ecce DEUS magnus,
vincens scientiam nostram.* Seu D. Bernardus
eum doceat, quàm sua isthæc temeritas non
fidei duntaxat, sed & ipsi rationi adversetur:
(*Ep. 191.*) *cùm nihil sit aut magis contra fidem,
quàm credere nolle, quidquid non possis ratione at-
tingere; aut magis contra rationem, quàm ratio-
ne rationem conari transcendere.* Sufficiet ad
eum redarguendum Epictetus sua illa interro-
gatione, (*Arrian. L. 2. c. 7.*) *Ignavissime homo!
num aliud quidquam melius, quàm quod visum
DEO*

DEO

DEO fuerit? Sufficiat Plutarchus testificans, parum dixisse eum, qui iustitiam DEI folio perpetim affidere scripsit: cum ipse verius per se (*Ad Princ. Ind.*) *Ius fasque sit, lexque omnium legum antiquissima, & perfectissima.* Sufficiet Chrysippus, qui, ubi aliquid incomper-
 tz, abstrusæque rationis contingeret; (*S. Cyril. 3. in Jul. ad c. 4.*) *Nolebat dici, quis scivit?* (nempe an hoc magis expediret) *sed, hoc omnino erat melius.* Ego sanè, si fors aliquando naturalis meus sensus tentet divinæ Providentiæ decreta in quæstionem vocare: ex imis animi penetralibus mussitans, quidnam sit causæ, cur maximus ille universi Rector tantam patrari scelerum multitudinem sinat, cum cæteroqui facillimum ipsi foret ea omnia, & finè ulla quidem nostræ libertatis læsione ab hominum vita prohibere: cur nonnullis tam multa æternæ salutis adjumenta suppeditet; aliis verò solum propemodum naturalis rationis lumen videatur relinquere: Cur his, post vitam flagitiosissimè actam, resipiscendi spatium indulgeat; illos autem, vix primo scelere admissio, ad æterna detrudat supplicia. Cur animarum, quas cælestis gloriæ assequendæ gratia creavit, sui que sanguinis pretio redemit, plerasque ruere in tartarum sinat, quan-

quanquam & eas omnes innumeris posset viis ad beatissimum illum finem perducere; & illæ multò ibi clariùs divinam justitiam in se ipsa perspicerent, quàm possint eam apud inferos in aliquo ejus effectu, nempe in suis pœnis cognoscere: Cùm hæc, inquam, aliâque id genus ex me quæri, intrà me audio, nil difficultatis ibi reperio, unde illico expedire me nequeam, uno hoc planissimo, & communi responso: Cur prædicta eveniant, in obscuro quidem mihi est, sed cùm DEI nutu permittique eveniant, persuasissimum habeo, justam aliquam eorum rationem suppeterere: Nam alioqui prava, & rationi contraria essent; quam pravitatem DEUS utpote sapientissimus cognosceret, & tanquam rectissimus exploratam & cognitam nollet. Si ergo dubitari non potest, quin ille summa sapientia, & æquitas sit, neque fieri nullo pacto, ut summa æquitas velit, quod pro justo non habet, aut summa sapientia, quod injustum est, pro justo habeat; manifestissimè apparet, quæcunque ille velit, justa ipsi videri: dùmque talia ipsi videntur, talia omnino esse: ut pro certissimo habendum sit, quod ex dictis evidenter consequitur, aliquam ejusmodi rationem, esto imbecilli nostræ menti incomper-
tam

tam illic reperiri, quam DEUS, uti perspicuè intuetur; sic pro causa justissima habeat volendi quæ vult, & faciendi quæ facit. Hoc, ut dixi, comüne responsum sufficientissimum mihi videtur ad omnes in præsentia materia quæstiones tollendas, tanquam indubitatis, & solidissimis, quæ vel Orthodoxa fides, vel humana ratio habeat, principiis suffultum. Ad summum, juvat cum Salviano concludere, (L. 3. de Provid.) *Nihil in hac re opus est aliquid audire. Satis sit, pro cunctis rationibus, auctor DEUS.* DEUS hoc voluit, DEUS hoc decrevit; ergo impossibile omnino est, quin rectissimum sit: neque, post inventam dialecticam, ulla unquam constructa argumentatio est, quæ stabiliora fundamenta, & consequentiam certiore habuerit. (Ps. 117.) *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Imò, quantò aliquid ex decretis à Deo in speciem absurdius, & minus approbandum videtur, tantò in ejus fide facilius mihi est acquiescere. Cùm, quantò imprudentior, consilii que, & æquitatis magis expertus DEUS foret, nisi justam & validam habuisset illud discernendi rationem, tantò evidentius sequatur, debere necessariò, tametsi nobis minimè appareat, magni quampiam momenti ratio-

tionem esse, cujus ille gratiâ, justè sapienter-
que id decreverit. Egregiè S. Augustinus:
*An verò usque adedè desipiendum, ut videat homo
melius aliquid fieri debuisse, & hoc DEUM vidisse
non putet, aut putet vidisse, & credat facere no-
luisse: aut voluisse quidem, sed minimè potuisse?*
*avertat hoc DEUS à cordibus piorum. (L. I. c.
Advers. Leg. c. 14.)*

20. Quæ cum ità se habeant, colligamus
in brevem summam explicatas hæcenus scien-
tiæ divinæ prærogativas, reputantes cum ani-
mis nostris, quantæ illa mens perspicacitatis,
& amplitudinis sit, quæ totam simul videt,
nullòque non vidit tempore infinitè infinitam
objectorum, quotquot vel extiterunt, vel ex-
titura sunt, vel existere possunt, varietatem:
quæque singula à maximo ad minimum perfe-
ctè comprehendit, imò & supercomprehen-
dit: perfectissima claritate discernens, quæ-
cunque eò pertinent, deque illis sciri possunt,
non modò prout absolutè in se ipsis sunt, sed
etiam prout cum quibuslibet aliis rebus con-
nexa. Præsertim quòd hæc omnia per uni-
cam speciem, unicòque obtutu DEUS videat,
quæ species, quique obtutus nihil aliud sunt,
quàm essentia ipsius. Quamòbrem ipsemet
sua infinita scientia est, ad quam comparandam

nullo studio, aut labore opus habuit, sed totam, quantacunque est, semper possedit: ceu aliquid secum omnino idem, ac idcirco non minus sibi necessarium, quam sit æternum suum esse. Neque in hac sistit speculatrice totius veri scientia; sed practicam ei adjungit, nostra omni nedum cogitatione, verum etiam admiratione majorem: sive incredibilis æstimetur fecunditas, qua tam multas, tamque varias rerum omnium possibilium ideas, & ante omne tempus concepit, & assidue collectas in sua mente, tanquam in æterno, perfectissimoque earum exemplari habet: sive attendatur ordo tam mirus, quo universas amplissimæ hujus universitatis partes disposuit, & mutuò inter se colligavit: adeò ut, licet aliæ aliis naturâ contrariæ, totum nihilominus stabile, uniforme, & sibi undique aptum constituent: quin imò suismet ipsis desideriis illius harmoniæ, perpetuitati, ac pulchritudini serviant: sive intentissima, & pervigil observetur, qua creatis rebus etiam minimis adest, innumeramque tot actionum diversitatem, quot in mundo omni, secundum singularum ejus partium naturam fiunt, ad fines suos dirigit: nihil omnino tam multiplici procuratione impeditus, distractusve, ut in mediis ejus actibus,

bus, ludentis potius securitatem, quàm occupati, & negotiosi sollicitudinem præseferat: sive demum Providentiæ ratio attendatur, quæ humanam libertatem, adeò cæteroqui refractariam, destinationibus suis famulari, efficacissimè juxta, suavissimèque compellit: iisdem viis, quæ proposito suo maximè videntur contrariæ, ad illud exequendum, ignaram, & alia omnia cogitantem, perducens, adeò, ut nihil tam perversè ab hominibus fiat, quin plus boni indè elicere, eoque ad sua consilia obtinenda, & majorem totius universi perfectionem uti nesciat. Considerentur, & suis rite perpendantur momentis singula hæc supremæ illius mentis decora: & dijudicetur postremò: *Numquid DEO comparari possit homo, etiam cum perfectæ fuerit scientiæ.* (Job. 22.) Num scilicet sapientia non unius duntaxat doctissimi hominis, sed omnium, quotquot doctrinâ in primis excelluere, hominum, imò etiam ipsorum cælestium spirituum divinæ queat scientiæ comparari; an veriùs, huic comparata, omnino evanescat, nihiloque plus luceat, quàm semimortuus nitedulæ fulgor, meridiani solis lampadi oppositus.

21. Nos mirari Aristotelem interdum solemus, quòd tam multiplicem omnium penè

rerum scientiam animo complecti potuerit. Sed quid proportionis habet quicumque veritatum ab eo Philosopho cognitarum numerus, cum infinitis objectis, quæ divinus intellectus cognoscit: neque id sanè, Aristotelis ritu, confusè & dubiè: sed ità, ut, quidquid sunt, & quidquid ad ea pertinet, clarissimo comprehendat intuitu? Miramur Picum Mirandulanum, aliàque ejusdem notæ ingenia, quòd paucis juventæ annis amplissimos intramentem suam cumularint sublimium doctrinarum thesauros, eòsque aquilas, phœnices, & prodigia vocamus. Sed, etsi tales revera sint, hominibus collati: quantum tamen ab aquilis, & phœnicibus distant, si cum DEO conferantur, qui non intrà breve tempus plurimarum rerum sibi comparavit scientiam, sed quidquid sciri potest, nullo non tempore compertissimum habuit? Miramur Archimedis subtilitatem in excogitandis machinis, quarum vi efficerentur, quæ humanos conatus videbantur transcendere. Sed quid omnes illius inventiones, & machinæ sunt, præ minimo viventium corporum, quæ maximus naturæ totius Conditor ex immensis suarum idearum thesauris, & tam multa in lucem produxit, & infinitè adhuc plura potest, quando-

cum.

cunque sibi libeat producere? Miramur amplitudinem mentis, quam Julius Cæsar, aliique præsetulere, cum ternis, aut quaternis simul scriptoribus diversas omnino materias, citra ullam cogitationum, sibi mutuò obturbantium, confusionem dictarent: (*Solin. c. 5. Plin. L. I. c. 25.*) Sed quantula istiusmodi est amplitudo ad facilitatem, qua DEUS, quæcunque à differentibus tot naturis seu in terris, seu in cælo fiunt, uno eodémque omnia tempore disponit, moderatur, gubernat? Miramur politicam Cyri Persarum Regis, & Augusti Romani Cæsaris sapientiam, in tam vastis imperiis fundandis. Sed quænam comparatio esse potest imperatoris illorum artis cum providentissima ratione, qua DEUS immanem hanc mundanæ universitatis Rempublicam & primò constituit, & semel constitutam tot annorum jam millibus regit? Principes terreni ut ut extraordinariâ ingenii solertia, variòque rerum usu instructi, quàm multis tamen adjutoribus indigent, tum ad cognoscenda, quæ hac illac in eorum ditione accidunt; tum ad examinandum, dispiciendumque, quid maximè fieri expediat; tum ad ea, quæ in rem visa sunt, strenuè, accuratèque exequenda? supremus Regnator in amplissima

sua gubernatione sibi unus sat est : ipse explorator , qui , quæcunque in abstrusissimo quovis angulo eveniunt , renuntiet : ipse interior senatus , qui accommodatissima ad temporum opportunitates consilia reperiat : ipse administrator , qui omnia , quæ usus rerum postulat , temporis momento perficiat : ipse oculus , ipse auris , ipse mens , ipse manus , ipse omnia. Homines , esto in negotiorum consultationibus subtiles aliquando , & ingeniosas , ea rite obediendi , rationes excogitent ; non tamen pari semper cum dexteritate & prudentia , in iisdem mox administrandis , & ad exitum promovendis versantur. Altissima DEI consilia certissimo semper tramite ad propositum sibi finem perveniunt. (*Esai. 55.*) *Verbum , quod egreditur de ore meo , non revertetur ad me vacuum , sed faciet , quacunque volui , & prosperabitur in his , ad quæ misi illud.* Homines , quancunque mentis capacitate præditi , nequeunt multis simul & diversis negotiis debitam attentionem impendere , sed necesse habent , de his primò tum de aliis deinceps , atque aliis cogitare. DEUS cogitatione unica omnibus simul , quæ in mundo aguntur , attendit & prospicit. Homines , etsi interdum reconditam quampiam veritatem penetrent , non id tamen

asse.

assequuntur, sinè prævio & plerumque labo-
 rioso, ac diuturno, in ea peruestiganda, co-
 natu. DEO verò nihil laborandum est, ut
 occultissima quæque veri arcana semper pro-
 spiciat, quàm ut prima, atque æterna veritas
 sit. Homines demum, quantò plura conti-
 nenti multorum annorum studio didicerunt,
 tantò difficiliùs integram, præsentémque eo-
 rum memoriam tuentur. DEUS explicatum
 assiduè præ oculis habet, quidquid unquam
 scivit, hoc est, quidquid sciri unquam potest.
 Si ergo Regina illa Austri, cujus in sacra Re-
 gum historia fit mentio: (L. 3. c. 10.) cùm
 Salomonis sapientiam, atque opera cominus
 explorâisset, præ admiratione, non habebat ul-
 tra spiritum: dixitque ad Regem, verus est sermo,
 quem audiui in terra mea super sermonibus tuis, &
 super sapientia tua: & non credebam narrantibus
 mihi, donec ipsa veni & vidi oculis meis, & pro-
 bavi, quòd media pars mihi nuntiata non fuerit.
 Major est sapientia tua, & opera tua, quàm ru-
 mor, quem audiui. Beati viri tui, & beati ser-
 vi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sa-
 pientiam tuam. Si finita, inquam, divinæ sa-
 pientix participatio, nec finita duntaxat, sed
 & inter finitas non maxima, quippe multò
 Angelicâ inferior, adeò tamen Reginam illam

obstupefacere admiratione sui potuit; quanto altiori stupore percellat nos, oportet DEUS ipse, creatæ totius sapientiæ, veritatis, & lucis immensissimus fons? *Ecce plus quam Salomon hic.* (Matth. 12.)

22. O sapientissime DEUS! (Ps. 138.) *Mirabilis facta est scientia tua ex me* (nempe secundum phrasim Hebraicam, *super me*) *confortata est, & non potero ad eam.* Absorbeor hac abyfso, submergor: nec bolidem usquam reperio, quo, non totam modò illius altitudinem, sed nè partem quidem emetiri possim, quæ certa proportione toti respondeat. Nimis parùm, ac penè nihil dixisti, Domine, cum per Isaiam gloriareris: (c. 55.) *Sicut exaltatur cæli à terra, sic exaltata sunt via mea à vis vestris, & cogitationes meae à cogitationibus vestris.* Intervallum, quo terra à cæli sublimitate distat, certâ mensurâ finitur. At quæ mensuræ sufficiant, ad magnum, imò infinitum chaos æstimandum, quo, supra nostram, sapientia tua eminet, adeò ut inter tam remotos, tamque dispares gradus, nullus proportioni sit locus: & sicut orbis terrenus, altiùs, altiùsque per certum aliquod spatium confurgens, cælum tandem attingeret; sic congeminata pluries hominum sapientia, ad eum usque modum

dum, atque gradum attolli nunquam poterit, ut par tuæ evadat, sed infinitè, semper ab illa distabit. Quanta inter duas illas comparationis notas, *sicut, & sic* inæqualitas sit, tibi uni fas est ad plenum comprehendere: sed non itè fas est, creatæ ulli menti omnino explicare. Reliquum est, ut satis habeam te cognoscere, tanquam omni quâ humano, quâ Angelico intellectu infinitè superiorem: adorans, quanta possum maxima cum demissione animi illius immensitatem scientiæ, quam mihi nullo pacto percipere licet, quæque vel densissimas inter umbras spectata, omnem omnino angustiæ meæ mentis facultatem confundit, atque obruit.

CAPUT XXI.

De infinita DEI virtute, & potentia.

Duplex mensura, qua ad colligendam aliquatenus divinæ immensitatem scientiæ usi sumus, non minori nobis erit usui, ad aliquam pariter divinæ potentiæ, virtutisque speciem in mente formandam. Infinitam est